

non solum evanescit sed contra adversarios retorquetur. Vel etiam accepta lectione Vulgatae verba illa: « *Quis novit* » possunt ita intelligi ut Auctor non neget discrimen inter pecudes et hominem secundum animae dignitatem, sed adiciendo *quis* difficultatem rei voluit demonstrare. Haec enim loquendi formula in Scripturis sanctis non de impossibili, sed de difficili plerumque accipitur ut Is. LIII, 8 *Quis enarrabit?* Ps. 14, 4 *quis habitabit?* Ier. XVII, 9 *quis cognosset?* etc. (Ita Hieronymus in h. l.). Vel etiam intelligi potest de scientia experimentalis, secundum quam nescimus quo pergat humanus spiritus cum corpore separatur.

Ad 3<sup>m</sup> denique obiectionem de contradictionibus, respondent has commode componi posse et apparentes tantum esse. Et sane potest quis alios hortari ad laetum rerum temporalium usum, simulque declarare etiam ibi inesse vanitatem: quamvis enim ea bona licite usurpari possint et hominis animum utrumque relaxent, nonquam tamen perfectam homini felicitatem afferunt. Eodem modo potest quis absque ulla contradictione laudare moderatam laetitiam quam quis proprio labore sibi comparavit, eodemque tempore damnare immodicum et effraenatum impiorum gaudium, et docere multo melius esse cum bonis alligi et tristari, quam ridere cum impiis. Ita etiam commendare quis potest veram sapientiam quae praecipue in Dei cognitione et in moribus ad iustitiam componendis consistit, et ex alia parte contemnere ac reprobare mundanam sapientiam quae in divitiis accumulandis, temporalibus negotiis expediendis, et proximorum animis astute circumveniendis occupatur. Ex hisce apparet obiecta loca, etiamsi Salomoni ipsi ex propria mente loquenti tribuantur, tamen recto sensu intelligi posse.

Haec satis sint de *speculibus quaestionibus* circa veritatem librorum Pentateucho posteriorum. Plures aliae quaestiones videri possunt apud saepius laudatum Veith op. cit. Pars II-VI Veteris Testamenti, et apud Glaire in *Libris Sanctis vindicatis* Tom. II (1) aliosque probatos auctores.

Nunc ad Pentateuchum veniendum est.

(1) Extat hoc opus etiam Italica lingua redditum cura Compilatorum Bibliothecae Catholicae et Neapoli editum.

## ARTICULUS II.

### DE VERACITATE PENTATEUCHI, SEU LIBRORUM MOYSI

Demonstrata librorum Pentateucho posteriorum veracitate, iam ad ipsum Pentateuchum seu libros Moysi accedendum est, quorum veracitas eo maiori diligentia demonstranda ac vindicanda est quo maior est eorumdem librorum antiquitas, difficultas, et gravitas, et quo vehementius ab religionis hostibus impugnari solent. Contra hos enim libros mirum est quanto impetu ferantur tum veteres tum recentiores increduli ac rationalistae, quorum alii Moysen fraudis ac mendacii accusare audent, quemadmodum impius auctor libri *De tribus impostoribus*, alii vero ex mythico systemate narrationes Mosaicas pro *fabulis* vel *legendis* habendas esse volunt quas auctor ex populari traditione collectas, in defectu verae historiae scripto consignaverit. Iuxta horum systema protoparentum creatio, et dona supernaturalia quibus a Deo instructi fuisse dicuntur, eorumdem lapsus et naturae humanae corruptio inde sequuta, diluvium in orbem immissum in peccatorum poenam, promissio futuri Reparatoris, frequentes Dei apparitiones, mirabilis Dei providentia in familia Abrahami tuenda et revelationis deposito per Hebraeorum gentem custodiendo, et cetera quae praeter ordinarium naturae cursum accidisse referuntur nihil aliud sunt quam naturalia facta plus minusve ex populi phantasia vel superstitione exaggerata et in portenta transformata, vel etiam sunt symbolica et mythica involuera quibus veritates quaedam naturalis religionis adumbrantur. Itaque contendunt ab omnibus hisce figmentis Pentateuchum ope critices liberandum esse, ut vera historia ac doctrina sub illis latitans eruatur. Ita post Eichhorn, de Wette et alii saepius commemorati, inter quos eminent nostra aetate Ewald in sua *Historia populi Israel* (ed. 3<sup>a</sup> 1864) et Colenso in saepius citato opere de Pentateucho et Iosue libro (ed. 2<sup>a</sup> 1862-65). Contra horum temeritatem et praeeconceptos errores constitimus sequentem Thesim.

THESIS XXXVII.

*Moyes in iis omnibus quae sive in Genesi sive in reliquis  
Pentateuchi libris narrat plenissimam historicam  
fidem meretur.*

Consueto ordini insistentes argumenta omnia in duplicem classem partimur; et primo exponemus argumenta *interna* et directa, tum vero *externa* et confirmativa.

§. I. Argumenta interna et directa.

Antiquo historiarum scriptori sua fides constat si probari possit A eum *scientiam* eorum quae refert habere potuisse ac debuisse, B eum res quas certo noverat *sincere* et *iuxta veritatem* scripto mandasse. Quae duo in Moyse demonstrari posse contendimus.

A. Moyes historiam quam narrat certo cognoscere potuit ac debuit.

Cum Pentateuchi genuinitas a nobis demonstrata sit, unusquisque videt quaestionem de Moyse scientia vix cadere posse in quatuor posteriores eius libros. Hi enim maximam partem complectuntur legem atque instituta ab ipso Moyse sancita aut promulgata: facta vero historica quae referunt ipsa Moyse gesta sunt, vel ea quae sub eius oculis aut directione evenisse dicuntur. Pauca quae occurrunt in principio Exodi de ipsius Moyse natalibus ac prima infantia facile potuit ipse a parentibus, a Maria sorore, aliisque immediatis testibus ediscere: quae vero in fine Deuteronomii de Moyse morte et funere leguntur alias animadvertimus diverso auctori esse tribuenda. Si igitur Pentateuchi genuinitas admittatur auctoris scientia de hisce rebus in dubium vocari nequit. At vero non idem dicendum de primo Pentateuchi libro qui est Genesis; in hoc enim auctor narrat ea quibus ipse interesse non potuit, quaeque longo saeculorum intervallo eius aetatem praecesserant. Quare non inepte quaeritur utrum nam, et unde nam potuerit Moyes horum notitiam certo ac tuto haurire?

Si nulla alia praesto esset via ad evadendum ex hac difficultate, plana et obvia responsio esset Moysen divina revelatione haec

omnia didicisse. Extraordinariam enim Dei assistentiam ipsi concessam fuisse et nos certissime credimus, et ipsi adversarii admittere coguntur dummodo velint aequo iudicio pendere Moyses officium et missionem, rerum quas scribit momentum in divinae providentiae oeconomia, demum puram ac sublimem moralem doctrinam ab eo traditam, quae ab humano ingenio, illa praesertim aetate, nullatenus repeti potest, ut infra melius declarabimus. Verum nolumus hic contra adversarios divinam revelationem urgere, et contendimus media naturalia minime defuisse auctori Pentateuchi ad factorum Geneticorum notitiam certo hauriendam. Haec autem media dicimus fuisse *primo* et praecipue traditionem oralem, *secundo* diversi generis monumenta tunc extantia, quae traditionem confirmabant et illustrabant. De singulis dicamus.

I. De traditione antiqua factorum quae in Genesi narrantur.

Quod Moyes factorum quae ante ipsum everant memoriam in traditione conservatam invenerit, in controversiam vocari nequit. Siquidem apud omnes antiquos populos ab immemorabili aetate horum memoriam exitisse ex historia constat, ipsaque factorum gravitas docet ea non potuisse tam facile apud homines in oblivionem abire. Id unum quaeri possêt, an haec vetusta traditio apta fuerit ad Moysen docendum? utrum scilicet ea esset fons sincerus veritatis, an potius corruptus et fabellis redundans uti solet fieri in praeis aliarum gentium traditionibus. Verum huiusmodi traditionem quam apud suos invenit Moyes incorruptam fuisse demonstrare possumus ex eiusdem traditionis characteribus et adiunctis.

Sane traditionis veritas eo certior est 1° quo *pauciores* sunt qui seriem eiusdem traditionis constituunt, 2° quo *pauciora* facta complectitur, 3° quo *graviora* ea sunt et notiora, 4° quo magis *immunis* fuit ab influxu imaginationis, passionum et arbitri eorum per quos transit. Diximus primo loco quo pauciores sunt illi qui seriem traditionalem constituunt, non vero *quo minus est temporis spatium* quod complectitur: illud enim quod solet traditiones corrumpere non tam est temporis diuturnitas quam numerus generationum, per quas successive transit, cum unaquaeque soleat aliquid addere vel detrabere acceptae a maioribus traditioni, quare si longum temporis spatium nonnisi paucas generationes complectatur, illa temporis diuturnitas quantumcumque ea sit traditionis

puritati nocere non potest. Ceteri canones per se patent. Imvero haec omnia dicimus convenire traditioni illi primitivae, ex qua Moyses accepit factorum notitiam quae in Genesi narrat.

Et 1° per *paucorum* ora transierat. Siquidem per Mathusalem, qui 1000 fere annos vixit, et Noe qui vixit 600 annos ante diluivium, et post diluivium 350, Moyses poene cum Adamo coniungitur quamvis inter Creationem et Moysen viginti quinque saecula intercesserint: hinc Moyses a primis Geneseos factis admodum paucis generationibus distat, a postremis vero nonnisi duabus vel tribus. Per paucos itaque annulos catena traditionis ad Moysen usque pervenit, ex qua factorum certissima notitia tradita est. Siquidem Adam cum Seth nepotes docuerunt de creatione deque suis ac filiorum gestis, Noe de diluvio, Abraham de sui vocatione divinisque promissis ei factis, Isaac, Iacob eiusque filii Moysi proximi de coeteris ad historiam Patriarcharum pertinentibus. Quorum memoriam vivam adhuc apud suos Moyses reperit. Fieri enim non potuit quin Hebraei patres suos percontati fuerint de Patriarcharum gestis a quibus sciebant se originem ducere. Quis autem suspicari potest traditionem istam sinceram et incorruptam non fuisse? Ipsa enim diuturna hominum vita et testium oculatorum per plura saecula existentia corruptionem impediabat; praesertim si attendamus sanctissimos illos Patriarchas probe conscios fuisse muneris sibi commissi ut posteris traderent certam factorum illorum notitiam, et vix alia tunc fuisse de quibus parentes filios edocerent, cum hisce factis tota contineretur historia, et exigua admodum esset artium scientiarumque suppellex.

Obticere quis posset haec quae diximus de longaeva Patriarcharum vita non posse hic a nobis ut certa assumi, quin supponamus id quod est in quaestione, nempe Moysis veritatem, qui haec in Genesi narrat. At respondemus longaevitatem primorum hominum non ab uno Moysese referri sed ab omnibus poene vetustissimis omnium gentium scriptoribus qui id a traditione acceperant, ut adductis testimoniis probat Ios. Flavius (lib. 1 contra Ap.) et ex eo Eusebius (Praep. Evang. lib. IX, c. 43) et inferius a nobis etiam breviter ostendetur.

2° et 3° Traditio de qua loquimur *pauciora* tantum facta complectebatur eaque *gravissima*, et natura sua omnibus *nota*. Et imprimis *pauciora*, et quidem eo *pauciora* quo ad remotiorem remanentem

pertinent. Sane liber Geneseos immensum viginti trium saeculorum spatium complectitur: at huius maxima pars, a creatione usque ad dispersionem gentium (XVIII saecula) *undecim* tantum capitibus tota comprehenditur, ubi proinde nonnisi summa quaedam facta, creatio, peccatum protoparentum, mors Abelis, diluivium, Babelica confusio, adiectis quibusdam genealogiis, breviter et summam attinguntur; tum statim fit transitus ad historiam unius familiae, Abrahami scilicet, de qua praecipua quaedam referuntur usque ad mortem Iosephi Patriarchae stylo paulo fusiore, utpote quae ad Moysi aetatem propius accedebant. Haec autem omnia gravissima et summi momenti fuisse, priora quidem universo humano generi, posteriora populo praesertim Hebraeorum res ipsa loquitur, proindeque tanto facilius poterant et ab omnibus disci, et memoria teneri, et incorrupta ad posteros transmitti.

4° Horum factorum traditio *immunis* esse debuit ab influxu phantasiae, arbitrii, passionum eorum per quos propagata est. Sane de fraude vel mendacio nemo suspicabitur; praeis enim illis temporibus patriarchae viri sanctissimi erant veluti duces et magistri hominum, et ad eos pertinebat memoriam horum factorum, quibus divinae providentiae oeconomia continebatur, puram in suis familiis conservare. Neque populi passiones, novarum rerum studium, animi volubilitas timenda erat. Ipsa enim morum simplicitas, et innocentia, pastorale vitae genus, extraneorum rerum ignorantia et disunctio a caeteris populis, qui post dispersionem veterem traditionem erroribus miscuerant, corruptioni obstabant. Accedit mos referendi in carmina et cantus res maioris momenti et familiarum genealogias, quo fiebat ut haec strictioribus versus et melodiae legibus adstricta a corruptionis periculo remotiora essent. Praeterea apud Semiticos populos semper consuetudinem viguisse novimus, quae etiam nunc passim servatur, ut frequenter coetus fierent, in quibus narrarentur genealogiae, itemque facta et exempla excellentium virorum, rerumque praecipui eventus quibus posteris docerentur, qua ratione vitam moresque suos componere oporteret. Hisce addendus est character Semitarum proprius, qui constans est, veterum traditionum tenacissimus, et a novitatibus maxime abhorrens. Hinc etiam nunc post immensum saeculorum spatium videmus apud Orientales eosdem mores, easdem vivendi leges, eandem populorum indolem quae in libris Moysis aliisque antiquis-

simis describuntur; linguae etiam non multum immutatae sunt. Contra ac apud nos evenire solet, penes quos brevi saeculorum intervallo omnia mutantur et commiscuntur, novae societates, novi mores, novaeque linguae pullulant, omniaque perpetuis vicissitudinibus obnoxia sunt (1). Quae omnia demonstrant traditionem veterum factorum puram a primitivis hominibus primisque Abrahami posteris conservatam fuisse. Nec suspicari licet Hebraeos ob inconsideratum patriae gloriae amorem haec exaggerasse. Si enim agatur de factis primitivis quae ante Abrahami vocationem acciderunt, haec non erant Hebraeorum propria, sed universo humano generi communia: si vero agatur de factis Patriarcharum, imprimis historia illa moribus ac vitiis Hebraeorum minime favebat, quos constat ex consortio Aegyptiorum iam tum in idololatriam proclives fuisse; verum praeterea facta illa nimis recentia erant, et cum praesenti Hebraeorum statu nimis connexa ut possent vel oblivione vel fraude adulterari: ipsa enim hebraicae gentis in Aegypto commoratio secum ferebat memoriam patriarchae Ioseph, eiusque patris Iacob, et totam eventuum seriem qui utrumque in Aegyptum adduxerant, et domicilium in ea regione stabilire coegerant; haec vero rursus in mentem revocabant Isaaci et Abrahami gesta, promissionesque iis a Deo factas, quibus etiam nimis laboriosam peregrinationem alacri animo susceperant. Nec obstat quod diu ante Moysen Hebraei coepissent in idololatriam proclives esse, et frequenter in hoc crimen incidissent: siquidem imprimis traditio, de qua loquimur non tam spectanda est prout a vulgo Hebraeorum intelligebatur quam potius ut a sanctis viris, et apud Patriarcharum familias servabatur: deinde Hebraei nunquam idololatriae ac superstitioni penitus, et permanenter addicti fuerunt: denique aliud est cultum divinum ex pravo aliarum gentium exemplo corrumpere, et aliud simplicem memoriam factorum, praesertim tanti momenti, et sub continua Patriarcharum vigilantia et disciplina amittere, aut depravare. Concludamus igitur Moysen apud suos traditionem invenisse rerum praeteritarum quae certam et tutam earum rerum notitiam illi suppeditabat.

Domesticae traditioni addenda quoque est traditio aliarum gen-

(1) Extat in hanc rem erudita Augustini Scholz dissertatio: *De fontibus historiae Veteris Testamenti*, ex qua plura excerptimus.

tium quam Moyses consilere potuit ad Hebraeorum traditionem confirmandam. Sane Hebraei e Chaldaea oriundi et in Aegypto longo iam tempore degentes, utriusque populi, Chaldaeorum nempe et Aegyptiorum, traditiones ignorare non poterant, unde profecto multa haerere poterunt cum utriusque populi origines ad tempora diluvio proxima ascenderent, iidemque artibus, scientiis, et omnis generis cultura iam flourerent.

II. De antiquis monumentis quae Moyses consilere potuit.

Praeter oralem traditionem non est cur negemus monumenta quaedam sive scripta sive non scripta Moysen invenisse, quae traditionem illustrarent et confirmarent. Temporis antediluviani monumenta aliqua a Moysae conspici potuisse verosimile omnino videtur. Quid enim? Sexdecim et amplius saeculorum spatio nullum in artibus progressum homines fecerunt? Nihil stabilis et duraturi posteris relinquere conati sunt? Aut diluvii aquae ita omnia deleverunt, ut nullum prorsus humanorum operum vestigium postea appareret? Certe diluvii ipsius vestigia adhuc extabant. Omissis enim signis perturbationis, quae in terrae superficie diluvium reliquerat, quaeque adhuc observari possunt, et Moysis aetate multo clariora esse debebant, servabantur adhuc reliquiae arcae Noeticae, ut etiam profani scriptores diu post tradiderunt, invisabantur loca ubi eadem constiterat, item extabant ruinae turris Babelicae, quas multis post Moysen saeculis adhuc extitisse scimus. Quod pertinet autem ad alteram historiae Geneseos partem extabant monumenta a Patriarchis erecta, altaria Abrahami, Isaaci, Iacobi, spelunca Abrahami ubi ipse cum Sara sepultus fuerat, statua salis in quam uxor Loth versa est, quam adhuc post plura saecula extitisse innuit auctor libri Sapientiae (X, 7): item vastitas et desolatio quae in loco Pentapoleos insederat, circumcisio ab Abrahamo originem ducens, sepulchra duodecim Patriarcharum, quae adhuc IV post Christum saeculo invisabantur, teste S. Hieronymo, item loca ubi tentoria fixerant, putei ab eis effossi et alia huiusmodi. Iosephi patriarchae non pauca extare debebant in Aegypto monumenta. Accedunt ipsa locorum et personarum nomina eventuum commemorativa, uti sunt mons *Moria* (Dominus videbit), *Bersabee* (puteus iuramenti), *Bethel* (Domus Dei), *Horma* (Anathema) etc. item *Noe*, *Abraham* (qui ante Abram dicebatur), *Isaac*, (יִצְחָק *videbit*) *Sara* (quae ante Sarai), *Israel* (qui ante Iacob) et alia huiusmodi, quae totidem insignes

eventus, quorum causa imposita sunt, commemorabant. Etiam cantica popularia ad quae identidem appellat Moyses monumentorum loco haberi possunt (Gen. IV, 23, 24 etc.). Denique non inepte supponere possumus etiam scripta aliqua Moysi praesto fuisse. Siquidem ex alias dictis constat artem scribendi Aegyptiis praesertim et Phoeniciis ante Moysen notam fuisse. Hinc non immerito concludimus scripta aliqua a Moysae inventa fuisse sive apud suos, sive apud Aegyptios de gestis veterum Patriarcharum, aut de primis mundi eventibus, quae in usum suum convertere poterit. Huc etiam transferri possunt ea quae Astruc, Iahn, aliique disserunt de variis fragmentis in Genesi existentibus. Quamvis enim, ut in Thesi XXV diximus, haec non sint tantopere urgenda, aliqua tamen vis eis deneganda non est ad ostendendum Moysen antiquiora aliquot scripta monumenta sub oculis habuisse dum Genesim scribebat. Praeterea de quibusdam antiquioribus libris ab ipso Moysae et a Iosue mentio fieri videtur, uti sunt *liber bellorum Domini* (Num. XXI, 14) et *liber Iustorum* (Ios. X, 13), quibus forte Patriarcharum gesta, et varia cantica commemorativa continebantur.

Iamvero Moysen rectum horum monumentorum, et antiquae traditionis usum facere potuisse, etiam seclusa divina inspiratione, apparet ex eius sapientia ac peritia; haec enim vel ex sola Pentateuchi lectione luculenter apparet: tam elegans est sermo, tam sapiens rerum ordo, tam sublimis doctrina ac legislatio: hinc non solum in Exodi libro affirmatur eum omni scientia Aegyptiorum instructum fuisse, sed etiam profani scriptores, ut Iosephus Flavius, Diodorus siculus, Artapanus aliique testati sunt eum magnam sapientiae famam apud Aegyptiorum sacerdotes obtinuisse. Ex quibus apparet neminem ex vetustis scriptoribus aptiorem Moysae fuisse ad omnia illa subsidia consulenda, expendenda et in suum usum citra erroris periculum convertenda.

B. Moyses mentitus non est, nec mentiri potuit.

*Sinceritas* Moysi et immunitas a quolibet mendacio vel errore in rebus quae certo noverat enarrandis constat 1° ex personali eius characterē, 2° ex circumstantiis quae illum falsum dicere non permittebant.

1° quidem ex personali Moysi characterē. Hic enim talis est, ut impostorum et vaforum hominum characteri e diametro opponatur. Apparet id evidentissime ex ipso Pentateucho: libri enim

sunt veluti speculam in quo auctoris imago reflectitur, etiam cum ille conatur animum suum dissimulare. Sane proprius impostorum character est: gloriae ac commodis suis studere, populo ac viris principibus blandiri, atque adulari, res occultas ac sine testibus narrare, quarum veritas indagari non possit, verborum artificio res falsas credibiles reddere. Ita sane se gesserunt plus minusve omnes antiqui et recentes impostores, qui falsa persuadere conati sunt, nec aliter omnino se gerere possunt, si velint suae fraudis successum aliquem sperare. Iamvero nihil huiusmodi in Moysi agendi ac loquendi ratione occurrit, imo contrariae prorsus virtutes et agendi ratio.

1° Ambitionis aut vanae gloriae nulla in Moysae apparet umbra. Verum est eum facta sibi gloriosa narrare, verum simul ingenue fatetur se non nisi Dei instrumentum esse, naturalem suam imperitiam aperte fatetur (Ex. III, 11, IV, 10-14), proprias culpas in ipsis illis factis obeundis et poenam inde sequutam non dissimulat (Num. XX, 12, XXVII, 14, Deut. XXXII, 48), fratris Aaron et sororis Mariae lapsum scripto mandat (Num. XII, 1-3, 10-15, XX, 24). Tantum autem abest quominus suis commodis inhiaverit, ut e contra iis omnibus valedixerit, quibus in regia aula fruebatur ut afflictionem cum sua gente divideret, utque longam et periculosam peregrinationem suscipere populi sibi dilecti regimen assumeret, populi, inquam, immitis, et pertinacis ingenii, a quo nihil sperandum erat, quique paucis diebus ab exitu de terra Aegypti iam coepit contra eum rebellare (Ex. XVI). Quando autem actum est de eligendo sibi successore, non cogitavit de suis filiis, aut nepotibus, sed, iis in Levitarum turba relictis, Iosue hominum alterius tribus (Ephraim) elegit.

2° Ab assentandi studio tam alienus est, ut nunquam timeat, seu populi, seu principum virorum offensionem incurere, cum id amor iustitiae aut zelus Dei gloriae exposcere videtur: populi vitii non solum non blanditur, sed ea passim acriter reprehendit, durissima quaeque comminatur, Hebraeisque quamvis rententibus legem imponit arduam, duraeque eorum cervici convenientissimam.

3° Ea vero facta Moyses narrat, quae non clam, et sine testibus accidisse dicuntur, sed coram universo populo, iis ipsis insipientibus et audientibus qui libros Pentateuchi lecturi erant, et ad quorum testimonium confidenter appellat. Huiusmodi sunt miracula

in Aegypto patrata, transitus maris rubri, solemnisi legis promulgatio, mira à Deo patrata in deserto, exemplares populi punitiones, praelia et victoriae super Chananaeos, et alia huiusmodi.

4° Modus etiam quo haec narrat simplicem et candidum scriptorem prodit, in rerum quas refert veritate unice confidentem. Nullum sane verborum lenocinium occurrit, nulla praeparatio, nullusque ad lectores persuadendos conatus etiam cum res mirae et poene incredibiles proferuntur, nulla denique exaggeratio aut fanatica loquendi ratio, quae solet impostorum aut illusorum esse propria.

5° Denique pietas in Deum sincera, et constans in populum licet ingratum ac rebellem charitas, summa animi modestia et abnegatio, coeteraque virtutes in Moysi caractere tam splendide elucet ut omnem ab eo mendacii vel fraudis suspicionem removeant.

II° Verum Moyses nec mentiri potuisset etiam si voluisset. Id enim sive de *historia*, sive de *doctrina* et *lege* facile ostenditur.

1° *Historiam* quidem confingere non potuit: nam si sermo sit de quatuor posterioribus libris, in iis facta narrat, quibus universus populus interfuisse dicitur; quod si verum non fuisset nunquam ea potuisset populo persuadere, praesertim cum multa ex iis ingrata essent eidem populo, et in iis Moyses inniteretur ad potestatem suam supremam in eundem exercendam. Ita ex. gr. quis unquam crediderit potuisse Moysen populo persuadere eos mare rubrum sicco vestigio traiecisse, quadraginta annis coelestis cibo nutritos fuisse, multa eorum millia igne consumptos fuisse in criminum poenam etc. si ipsi nihil tale fecissent, aut vidissent? aut quis crediderit Hebraeos tam stupidos fuisse ut sinerent se de hisce rebus persuaderi cum tanto suo incommodo? Quod enim Hebraei haec omnia firmissime crediderint a nemine unquam in dubium vocatum est.

Si vero loquamur de historia Geneseos neque ista conungi a Moysse poterat: illa enim facta Iudaeis non minus quam Moysi nota erant ex antiqua scilicet traditione et publicis monumentis.

2° *Doctrina* vero, ita perfecta ac sublimis est, et tam longe superat religiosa systemata quae tunc vigeabant apud Aegyptios, Phoenicios aliosque orientis populos ut impossibile prorsus fuerit Moysi suo ingenio ac industria illam excogitare. Cultus externus in summa rituum varietate ac multiplicitate mirabilis prorsus est. Nam ex una parte vialat omnes absurditates ac turpitudines paga-

norum rituum, ex alia vero sacrificia, caeremonias et alia exteriora observanda praescribit, quae Iudaeos ab idololatrio cultu imitando retinerent; sunt enim admodum varia, et sensibilia, et omnino eiusmodi ut mira pulchritudine et splendore carnales adhuc animos allicerent, ac percellerent. Sed haec inuisse sufficiat: paulo plura de his dicturi sumus in Thesis sequentibus.

Ex hisce iam concludere licet Moysen et rerum *scientia* imbuitam fuisse, et ea quae sciebat *sincere* in scriptis tradidisse.

## §. II. Argumenta externa et indirecta.

Quamvis Moysi fides ex eius dotibus satis superque constet, opportunum tamen et utile erit praesertim ad retundendam adversariorum audaciam profanae etiam historiae testimonium addere. Licet enim, ut superius innuimus, magna sit inopia testimoniorum, quae ad nos usque pervenerint ex remotissima illa aetate, de qua Moyses scribit, ea tamen non omnino deficiunt. Possunt autem ad tria capita revocari, scilicet 1° traditiones et religiosa systemata veterum populorum, 2° expressa testimonia vetustissimorum scriptorum, 3° varia monumenta archaeologica. Pauca nunc de singulis.

1° Quod pertinet ad *traditiones* et *mythologias* antiquarum gentium plura de iis copiose disserit Huetius in saepius laudata *demonstratione Evangelica* Prop. IV, alique revelatae religionis defensores. Ut autem ex iis aliquid proferamus imprimis dicimus facta in Genesi narrata ante divisionem gentium in omnium populorum traditionibus et mythologiis reperiri. Et primo quidem narratio Mosaica de mundi et hominis creatione in sua substantia et praecipuis adiunctis recurrit in Aegyptiorum, Indorum et Sinensium cosmogoniis et theogoniis. Sane Mosaicum chaos (Gen. I, 2) quod rerum formationem et ornatum (*κόσμος*) praecessit occurrit etiam in Graecorum et Romanorum mythologia (Ovid. *Metam.* lib. I), et in Sinensium religioso systemate, ubi vocatur *Puen-ku*, et *Tay-ku*: in his enim elementorum commixtio et aqua omnia involvens similiter exhibetur. Historia Promethei ex Mosaica narratione de Adamo evidenter deprompta est, quin imo in Indorum mythologia (*Yazur-Veda*) primus homo *Adimo* appellatur. Protoparentum lapsus (Gen. III) recurrit apud omnes poene gentes, Aegyptios, Phoe-

nicios, Persas, Sinenses (Vide Cantii: *Storia Universale* vol. 8<sup>o</sup>). Hac etiam pertinent fabulae Graecorum de Saturno, Astraea, et Opi, quorum regnum *aetatem auream* constituēbat, et historiam de paradiso terrestri in mentem revocat. Fabula *Pandorae* est corruptio historiae Hevae et effectum primi peccati: serpens humani generis perditōr (Gen. III) recurrit in *Pythone* Graecorum, et Aegyptiorum *Typhone*. Historia turris Babelicae, et gigantum (Gen. XI) in fabula *Titanum*, qui bellum contra Iovem moverunt *conati imponere Pelio Ossam*, et Iovis fulgure prostrati ac dispersi sunt, facile recognoscitur. *Vulcani* fabula cum historia Tubalcain comparari potest (Gen. IV, 22), quemadmodum *Deucalion* et *Menes* apud Graecos et Aegyptios cum Noe confunduntur, et diluvium, quod eorum aetate accidisse fertur, cum diluvio Noetico (Gen. VI-IX). Plura alia in veterum traditionibus ad hoc factum diluvii spectant de quibus in speciali Thesi agemus. Nomina filiorum Noe eorumque posterorum, e quibus variae gentes ortae dicuntur in Genesi (Cap. X) adhuc in antiquarum gentium nominibus discerni possunt ut *Japhet* in *Iapeto*, *Sem* in Indorum *Scem* seu *Scerma*, *Cham* (hebr. חם) in Aegyptiorum *Hammon*, *Assur* in *Assyriis*, *Mitsram* in *Metsra*, quo nomine Aegyptus adhuc vocatur ab Orientalibus, *Lud* in *Lytis*, *Javan* in *Ioniis*, et ita de aliis. Ipsum venerandum Dei nomen a Moysē propositum יהוה *Iehova* facile dignoscitur in *Iao* Sinensium et in *Iove* Romanorum. Quod autem pertinet ad facta quae in Genesi narrantur post dispersionem gentium, etiam historia Patriarcharum Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iosephi et ipsius Moysi non semel recurrit in antiquorum populorum traditione. Praesertim Moysi historia non exiguam praesertim analogiam cum historia Bacchi quem in Aegypto natum fabulantur, ex aquis Nili servatum, et in Arabia educatum, eumque ad Indias subiungandas (Terram Chanaan) cum immensa hominum multitudine profectum fuisse, cornua in fronte gessisse (radii in fronte Moysi), tyrum gestasse (virga Moysi): ipsum denique nomen *Mysos*, quod Baccho datur in hymnis Orphicis cum Moysi nomine congruit (Confr. Huetium op. cit. Prop. IV, cap. 4<sup>o</sup> N. III<sup>o</sup>).

2<sup>o</sup> Testimonia quoque *explicita* profanorum scriptorum afferri possunt ad Mosaicās narrationes confirmandas. Haec quidem magno numero esse nequeunt tum quia scriptores rari erant in tam remota aetate, tum quia temporis iniuria pleraque scriptorum anti-

quorum opera perierunt, tum denique quia gentiles historici de Hebraeorum gente eiusque historia minime fuerunt sciliciti. Hisce tamen non obstantibus testimonia quaedam afferri possunt ad rem nostram maxime opportuna. Haec diligenter collegerunt Iosephus Flavius lib. I contra Apionem, et praecipue Eusebius Praep. Evang. lib. IX, Cap. 4<sup>o</sup> seqq. (1). Ex his pauca innuemus. Occurrit itaque primo *Sanchoniatathon* Berytius vetustissimus Phoeniciarum rerum scriptor, quem Troiano bello antiquiorem esse, et Moysē uno alterove saeculo recentiore expressē tradit Porphyrius: huius auctoris opus ex phoenicia lingua in graecam transtulit Philo Byblius, unde nonnulla excerptit Eusebius in opere citato, in quibus narrationes Mosaicās confirmatas invenimus de cosmogonia, de diluvio, de Patriarcharum et ipsius Moysi gestis. Hunc excipit *Thales* qui circa 33<sup>o</sup> Olympiadem floruit et Aegyptiorum Chaldaeorumque traditiones didicerat (Ios. lib. I<sup>o</sup> Con. Ap.). Is itaque plura de Deo et mundo cum Moysē communia habet. De diluvio Mosaico omnes poene vetusti scriptores mentionem faciunt ut Iosephus in lib. I Antiq. Cap. 4. affirmat et probat adductis testimoniis *Berosi Chaldaei*, *Hieronymi Aegyptii*, *Mnaseae* et *Nicolai Damasceni*, quibus Eusebius (lib. cit. Cap. 12) addit *Abydenum* Medorum et Assyriorum historiae scriptorem; verum de his alias redibit sermo. De longa praeiorum hominum vita plura sunt veterum testimonia, ad quae Iosephus appellat inquitens: « Cuius equidem rei testes habeo, quotquot Graecos inter Barbarosque rerum antiquarum monumenta reliquere. Nam et *Manethon* qui Aegyptiacam, et *Berosus* qui Chaldaicam scripsit historiam, et *Molus* (al. *Mochus*) et *Hestiaeus*, et *Hieronymus Aegyptius*, quique res Phoenicium prosequuti sunt, uno mihi ore omnes suffragantur, imo etiam *Hesiodus*, *Hecataeus*, *Helanicus*, *Acusilaus*, *Ephorus* item et *Nicolaus* veteres mille annos vixisse tradunt » (Ap. Euseb. lib. cit. Cap. 13). De Turri Babelica et linguarum confusione extat testimonium *Abydeni* (ib. Cap. 14): « Sunt etiam, inquit, qui primos homines e terra natos (Cfr. Gen. II, 7) cum et viribus et corporis mole confiderent (Gen. VI, 1-5) potentiamque superis ipsis maiorem affectarent, immensae altitudinis turrim, ubi nunc sita est Babylon, molitos esse dicunt: quae cum iam propius abesset a coelo, ventos ipsos navata diis opera vastam

(1) Eadem testimonia cum eruditissimis animadversionibus videri possunt apud Huetium Prop. IV, Cap. 2<sup>o</sup>.

et immanem eorum in capita substructionem effudisse, cuius ex collapsae rudibus ea quam Babylonem vocant exiterit. Homines porro, quorum ad id tempus una eademque lingua fuerat multiplex ac discrepantem ex eo vocem emisisse, ac postmodum Saturnum inter ac Titana bellum esse conflatum » (Gen. XI). De eodem eventu etiam Sibyllae cuiusdam testimonium adducit Iosephus (Antiq. I, 4, 3). De Hebraeorum omnium parente Abrahamo splendidum extat *Berosi* Chaldaei testimonium a Iosepho citatum, qui etiam adducit *Hecataei* auctoritatem, quem dicit integrum volumen de Abrahamo scripsisse. Addit *Nicolaum* Damascenum cuius verba recitat ex quarto eius historiarum libro, ubi Abrahami originem ex Chaldaea, eius in Chananaeam immigrationem, in Aegypto commorationem, et miram posteriorum multitudinem commemorat (ap. Eus. op. cit. Cap. XVI). Accedit testimonium *Alexandri Polyhistoris* qui Iudaeorum historiam scripsit, et de Abrahami gestis multa specialim narrat ex testimonio antiquioris auctoris *Eupolemi* (ib. Cap. XVII), scilicet Abrahami vocationem, transmigrationem in Palestinam, praelium et victoriam de quinque regibus et liberationem Loth, Melchisedechi benedictionem (Gen. XIV), nec non descensum in Aegyptum cum historia Sarae (Gen. XII, 10, 20). Addit Eusebius ex eodem Polyhistore testimonium *Artapani* et *Melonis* nec non *Cleodemi* vatis (ib. XVIII-XX). De Iacobo patriarcha eiusque gestis cum fratre Esau, et uxoribus Lia et Rachele, deque duodecim patriarchis eius filiis laudatus Polyhistor multa narrat cum historia Geneseos convenientia, quae recitantur ab Eusebio Cap. XXI. Eadem habent *Theodotus* et *Artapanus*, qui de Patriarcha Ioseph praesertim tractant, apud Ios. Flavium et Eusebium in locis citatis. De gestis denique ipsius Moysi in posterioribus Pentateuchi libris narratis plura occurrunt apud antiquos scriptores *Eupolemem* (Eus. op. cit. Cap. XXVI) et *Artapanum*, qui historiam exitus Hebraeorum sub Moysae et Aaron, prodigia in Aegypto patrata, transitum maris rubri et Aegyptiorum submersionem, mannae pluviam aliaque commemorat in suo de Iudaeis opere (Eus. Cap. XXVII), cui addendi sunt *Ezechielus* poeta tragicus, et *Demetrius* plura de Moysae et Iudaeorum gente narrantes (Eus. ib. XXVIII, XXIX). De Moysae loquuntur etiam *Herodotus* Hist. lib. II, *Diodorus* siculus (lib. I et XXXIV et XXXV apud Photium), item *Strabo* (lib. XVI), *Plinius* (lib. XXX, 4, 2) qui magum eum appellat, *Diogenes Laertius*

(lib. I), *Tacitus* (Hist. lib. V), *Plutarchus*, *Iuvenalis* alique recentiores, quorum testimonia afferre supervacaneum esset. Ex hisce apparet rerum quae in Pentateucho narrantur fidem non in unius Moysi testimonio consistere, quamvis illud unum aliunde sufficeret.

3° *Archaeologica* monumenta, et recentiora *scientiarum inventa* etiam Moysi suffragantur. Qua in re notatu dignum est eas disciplinas quae initio, rebus non bene perspectis, difficultates contra Mosaicas narrationes creare visae sunt, novis accedentibus studiis, novisque inventis, splendidum ad sacram historiam tuendam subsidium praebuisse.

Monumenta proprie dicta, ut inscriptiones praesertim Assyriacae, ad historiam diluvii et Babelicae turris praecipue referuntur: quae duo facta ab Assyriis, et Chaldaeis videntur coniuncta et fere confusa fuisse, ut fit ex. gr. in inscriptione *Borsippae* (1). Sed de his in speciali Thesi agemus. Hic tamen omittere non possumus festa et instituta Hebraicae gentis, quae velut totidem perennia monumenta sunt factorum Mosaicorum. Ita *Sabbatum* Mosaicam creationis historiam commemorat, *Circumcisio* pactum a Deo cum Abrahamo initum, *Pascha* stragem primogenitorum Aegyptii et Hebraeorum exitum, *Pentecoste* solemnem legis publicationem, *Scenopegia*, seu festum Tabernaculorum, Hebraeorum peregrinationem per desertum et prodigia tunc a Deo patrata, et ita de ceteris. Possent hic etiam quaedam adiungi ex philologia comparata seu scientia linguistica, uti aiunt, ex qua unitas humani generis, et violenta linguae confusio in Babele mirifice confirmantur, item geologorum observationes addi possent, ex quibus tum Creationis ordo a Moysae descriptus tum diluvii universalis veritas apprime confirmantur, verum de his quoque plura dicemus in sequentibus quaestionibus. Interim concludimus veritatem narrationum quae in libris Moysi leguntur non solum ex auctoris dotibus certissime demonstrari, sed aliunde etiam apprime confirmari.

### §. III. Solvuntur obiectiones.

A. Obiectiones generales contra veracitatem Pentateuchi.  
Ea quae ab adversariis contra Pentateuchi veritatem opponuntur fere omnia unam vel alteram narrationem specialiter impetunt, de

(1) Vid. F. Robiou \* Appendice à l'Histoire ancienne des peuples de l'Orient, Paris 1864 pag. 3.



quibus propositum est postea seorsim tractare. Antea vero breviter dicemus de nonnullis *generalibus* difficultatibus: quae quidem ad duas sequentes revocari possunt.

*Obiic.* 1<sup>o</sup> Silentium profanae historiae de factis a Moysse narratis.

*Resp.* adversarios immerito contra Moysen urgere profanorum historicorum silentium. Siquidem, ut alias innuimus, non solum de Hebraeorum gestis, sed et de aliarum gentium nulla extant historicorum testimonia qui circa remotam Pentateuchi epocham scripserint. Historiae Graecorum pater Herodotus decem saeculis post Moysen floruit. Apud Orientales populos si quae historiae scriptae fuerunt paulo post Moysi aetatem, aut penitus interierunt, aut in paucis tantum fragmentis ad nos pervenerunt. Ceterum ex paucis, quae ex antiqui scriptoribus novimus aliqua afferri possunt testimonia quae Moysis historiam confirmant, ut in Thesi probatum est; plura quoque variis modis deformata, et fabulis commixta in veterum populorum mythologiis supersunt, ut ibidem diximus. Quod autem non claris aut frequentius antiqui historici praesertim Graeci de Hebraeorum factis mentionem fecerint ex eo etiam repelit Ios. Flavius, quod parum cum illa gente commercium habuerint, eiusque instituta contempserint, quod etiam accidisse constat aliis populis licet florentissimis, quorum tamen vix aliquam notitiam Graeci habuisse videntur. Ipsa Iosephi verba recitanda sunt. Incipiens contra Apionem disputare statim sequentem obiectionem diluendam proponit, inquit: « Volo autem paululum prius disputare adversus eos, qui contendunt novellam esse nostram conversationem, eo quod nihil de nobis, ut aiunt illi, dictum sit a conscriptoribus Graecis. » Cui obiectioni respondet: « Nos igitur neque regionem maritimam habitamus, neque mercimoniis gaudemus, neque per hoc alterutris peregrinationibus fatigamur. Sed nostrae civitates procul a maris sitae sunt: regionemque uberrimam possidentes in ea assidue laboramus, incumbentes ad legum custodiam et pietatis traditionem; » addit deinde etiam aliarum gentium ignorantiam apud Graecos deprehendi: « Et hoc, inquit, apparet etiam circa Europam contigisse, quando de Romanorum civitate tam longo tempore potestatem adepti, tantaque bella conficiente neque Herodotus, neque Thucydides, nec ullus qui fuit cum istis fecit aliquam mentionem, sed sero tandem et vix ad Graecos potuit eorum venire notitia. De Gallis autem et Hispanis sic ignorare hi qui putantur diligentis-

simi scriptores, quorum est Ephorus, ut unam civitatem esse arbitarentur Hiberos, qui tantam partem occidentalis terrae noscuntur habitare, et mores eorum, qui neque fiunt apud eos, neque dicuntur referunt. Causa vero *ignorantiae* veritatis est quod procul abessent, ut autem *falsa* conscriberent quod vellent videri aliquid amplius quam alii retulisse. Quomodo ergo mirari decet, si neque nostra gens plurimis erat nota, neque ad scribendum de se aliquam dedit occasionem, et ita dissita procul a mari, et talibus institutis vivens? » Denique argumentum ita retorquet: « Pone igitur nos argumento uti velle Graecorum, quod non sit genus eorum antiquum, eo quod nihil in nostris voluminibus de eis sit dictum: nonne omnino deridebunt causas huiusmodi a me prolatas, et testes vicinae regionis adducent antiquitatis suae? » (Ios. Contra Apionem lib. 1). Haec de prima obiectione.

*Obiic.* 2<sup>o</sup> Argumentum analogiae desumptum ex historia veterum populorum. Aiunt enim, omnium gentium historiam a fabulis incipere; ita Graecorum, et Romanorum, Aegyptiorum et Indorum annales cum de primitiva illarum gentium, aut mundi origine loquantur mythologicas narrationes continent, vel unice, vel cum veris factis commixtas: deinde vero cum ad recentiorum epocham accedant fabulae incipiunt evanescere, donec verae historiae omni ex parte locum cedant. Hinc sapienter Varro, quem critici passim sequuntur, omnem historiam in triplex aevum dividit, scilicet *obscuram* (*αδελον*) de quo vel nulla vel incerta tantum et vaga extat memoria, *mythicum* (*μυθικον*), de quo multa quidem sed fabulosa feruntur, denique *historicum* (*ιστορικον*), in quo vera factorum narratio continetur. Iam vero non est cur populum Hebraicum, eiusque historiam ab hac lege eximamus, quinimo tanto magis hoc de Hebraeorum historia credendum est, quo magis incultos, rudes et superstitiosos eos fuisse constat. Ergo saltem prima historiae Hebraicae epocha, quae in Pentateucho continetur, fabulis adscribenda est. Ita post Voltairium hodierni *scholae mythicae* sectatores.

*Resp.* Quoniam de mythico systemate Scripturis interpretandis adhibito in Hermeneutica fusus dicendum erit, sufficiat nunc praecipua tantum criteria innuere, quibus difficultas resolveri potest. Omissa igitur quaestione de Varronianae divisionis veritate, negamus prorsus analogiam pro Hebraeorum historia valere. Sane Hebraeorum gentem in speciali conditione versatam fuisse in ordine

ad veritatem cognoscendam et conservandam, ipsi adversarii negare non possunt. Si nullum aliud argumentum adesset quam puritas ac sanctitas doctrinae quam ipsi profitebantur, et eorum libri complectuntur, hoc unum sufficeret ut eos diverso modo ac ceteras gentes considerare deberemus. Quod quidem historiae quoque veritatem afficit ob intimum nexum quem historia Hebraeorum habet cum eorum doctrina. His adde immensum discrimen quod apparet inter veterum populorum mythologias, et historiam Pentateuchi. Illae enim fabulas referunt ridiculas, absurdas, divinae perfectioni et humanae naturae repugnantes, moribus hominum et societati perniciosissimas, denique nullo inter se nexu coniunctas; contra Pentateuchus facta refert, etsi prodigiosa, nunquam tamen absurda, quae param et sublimem Dei ideam ingerunt, homines ad virtutem et vera bona sectanda provocant, ita demum inter se connexa sunt ut praecedentia sequentibus lucem affundant, omnesque historiae partes unam seriem constituant, quae tota turbaretur, et corrueret si quaelibet pars de medio tolleretur; quod est character veritatis.

Haec sufficiant de generalibus obiectionibus. *Speciales* obiectiones distinctis Thesis expendendae nobis erunt.

B. Quaestiones *speciales* de Pentateucho.

Satis dictum est de *generalibus* obiectionibus adversus Pentateuchi veritatem. Quoniam vero, ut superius innuimus, praecipuae et graviores obiectiones sunt illae quae *speciatim* contra unam vel alteram horum librorum partem afferuntur, operae pretium duximus nonnullas ex istis singillatim expendere. Itaque speciminis gratia tractabimus 1° De Mosaica cosmogonia, deque hominis origine; 2° De diluvio, et arca Noetica (1). Sit itaque

. Quaestio I. De Mosaica Cosmogonia, et humani generis origine.

In primis duobus Geneseos capitibus narrat Moyses primam mundi et hominis originem; horum summa haec est. In principio Deus creavit mundum, in statu tamen confuso et chaotico (Gen. 1, 1, 2). Tum vero creatio et ordinatio rerum non uno momento sed suc-

(1) Constitueramus plures alias huiusmodi quaestiones pertractare, ut ex. gr. De Chronologia Mosaica, De transitu maris rubri, De decem plagis Aegypti, De Morali doctrina Pentateuchi etc. Verum ne huius primi voluminis moles plus aequo exerescat cogimur ab iis abstinere.

cessive sex diebus perfecta est. *Primo die* creata est lux, et dies a nocte distinctus (ib. 3-5). *Secundo die* creatum est firmamentum et divisae aquae inferiores a superioribus (ib. 6-8). *Tertio die* congregatae sunt aquae inferiores sen terrestres, quibus formatum est mare, et apparuit arida: mox vero ex terra germinarunt plantae, et arbores iuxta species distinctae (ib. 9-13). *Quarto die* sol, luna, et stellae in firmamento apparuerunt, et dierum ac tempestatum successio incepit (ib. 14-19). *Quinto die* reptilia aquatica, et pisces ex aquis pullularunt una cum volucris, et a Deo benedicti vim ab eo acceperunt speciem suam propagandi (ib. 20-23). *Sexto die* animalia terrestria de terra producta sunt, iumenta scilicet, reptilia (terrestria) et bestiae *secundum species suas*, postremo autem loco homo ad imaginem et similitudinem Dei creatus (ib. 24-31). Completis operibus sex dierum dicitur Deus *requirisse die septimo* eumque *sanctificasse* (II, 1-3). Hominis vero productio distinctius in cap. II describitur. Narrat enim Moyses Deum hominem de limo terrae formasse, et inspirasse in faciem eius spiraculum vitae, quo vivens factus est (II, 7), postquam autem illum in paradiso voluptatis collocasset *mulierem ex eius costa produxisse*, eique sociam et uxorem tradidisse (ib. 20-24). Nomen Adam, quod genericum hominis nomen est, primo viro proprium evasit, mulier autem Heva חַוָּה (vita idest mater viventium) appellata est (III, 20). Ex duobus istis Adamo scilicet et Heva tanquam protoparentibus totam humanam speciem propagatam esse auctor enarrat in sequentibus capitibus.

Itaque tota haec historia a recentioribus incredulis variis modis impugnari solet, qui contendunt scientias praesertim naturales iuxta recentiores earum progressus omnino ostendere haec omnia conficta et fabulosa esse. Muneris nostri erit contra istos sequentem Thesis demonstrare.

THESIS XXXVIII.

Neque ex geologicis observationibus, neque ex historia naturali, vel physica scientia ostendi potest mundi atque hominis originem prout a Moysse (Gen. I et II) narratur absurdam ac fabulosam esse (1).

Ut ordini consulamus distincte tractabimus 1° de mundi origine, seu cosmogonia; 2° vero de hominis creatione.

Pars I. Obiectiones adversus Mosaicam Cosmogoniam.

Ad duo capita revocari possunt quae recentiores quidam geologi ac physici revelationis hostes contra laudatam historiam obiiciunt: alia enim ipsam eius substantiam impetunt, sex scilicet diebus totum mundum creatum et ornatum fuisse, alia vero ordinem creationis impugnant. Ad primum quod attinet

Obiic. 1° ex geologia. Recentiores naturae scrutatores ex pluribus observationibus in crusta telluris peractis in hanc conclusionem venerunt, globum quem habitamus ex successivis incrementis lentissimo processu ad eum statum perductum esse, quem videmus, et quem ipse Moyses describit. Inventum est enim exteriorem telluris partem non ex uniformi et homogenea substantia formatam esse, sed ex variis stratis diversae naturae altero alteri superpositis, quorum saltem quatuor series seu classes distingui possunt quae iam a geologis hisce nominibus appellari consueverunt, scilicet profundissima et antiquissima, quae tamquam basis aliorum habenda sunt vocantur *primaria*; quae proxime succedunt *secundaria*, postea vero *tertiaria*, denique *quaternaria* seu *post-tertiaria*, quae superficiem externam telluris ex recentibus formationibus et humo

(1) In hac et sequenti Thesi, ubi de geologicis quaestionibus sermo est, recentissimos aequae ac praestantissimos huius scientiae tractatores sequuti sumus. Prae manibus habuimus imprimis sequentes libros: Sir Charles Lyell *The student's elements of Geology* (Lond. 1871) cum aliis notissimis eiusdem auctoris operibus, G. Molloy: *Geology and revelation* (2. edit. 1873), S. Haughton: *Manual of geology* (Lond. 1866), Ed. Lambert: *Le Déluge Mosaïque, l'histoire et la Géologie 2<sup>me</sup> édition* (Paris 1870), I. B. Pianciani: *Cosmogonia naturale comparata col Genesi* (Roma 1862), A. Stoppani: *Corso di Geologia*, imprimis Vol. 2. *Geologia stratigrafica* (Milano 1873). Plurios alios in decursu tractationis laudabimus.

vegetali constantem sustinent. Imvero demonstratum est, inquit, ad uniuscuiusque seriei formationem plura annorum millia necessaria fuisse, proindeque admitti nequit mundum uno momento, aut sex dierum spatio efformatum esse, ut Moyses narrat.

Obiic. 2° Nec dici posset ad difficultatem eludendam stratorum formationem antecessisse rerum creationem, quae postea sex dierum spatio locum habuerit. Opportune enim hic succurrit *palaeontologia* quae innumera ostendit *fossilia*, idest plantarum et animalium reliquias petrificatas, vel eorum vestigia variis obiectis impressa in intimis terrae visceribus recondita, quae quidem evidenter ostendunt vegetalia atque animalia quae in profundioribus etiam stratis reperiuntur non posteriora sed coaeva ipsorum stratorum formationi fuisse. Accedit inter praedicta *fossilia* etiam in epocha tertiaria plures animalium species repertas esse ut sunt ex. gr. quaedam ex genere *saurianorum*, et illas quas geologi *Palaeotheria*, *Anoplotheria*, *Dinotheria*, *Mastodontes* etc. appellant, quae nunc ignotae prorsus sunt, nec ulla de iis in historia occurrit mentio. Quare dicendum est eas diu ante genus humanum terras habitasse, seu ad epocham, uti nunc vocant, *prae-historicam* (1) pertinere, contra ac narrat Moyses qui animalia terrestria eodem die cum homine creata fuisse docet.

Ad ordinem vero creationis quod attinet plures contradictiones et errores in Genesi inveniri dicunt; scilicet

(1) Ad terminorum usum quod attinet tyrōnes<sup>1</sup> animadvertant nomine *Geologiae* nunc intelligi eam scientiae physicae partem, quae exterioris telluris crustae formationem investigat; eam vero partem quae de *fossilibus* reliquiis plantarum et animalium pertractat vocari *Palaeontologiam*, quae si speciatim tractet de fossilibus humanis aut de vestigiis humanae industriae in terra repertis vocatur *Archaeologia praehistorica*, vel *Anthropologia praehistorica*, aut uno vocabulo *Palaeoethnologia*. Adiectivum illud *praehistorica*, quo tantopere delectatur recentiores quidam physici, posset simpliciter significare id quod praecessit scriptam historiam, aut historica monumenta apud unam vel alteram gentem, et in hac significatione *epochas praehistoricas* libenter admittimus: verum plerique intelligunt epocham praehistoricam illam quae praecessit aetatem, qua homo primo a Deo creatus dicitur in Genesi, et hoc in sensu *epocham praehistoricam* relate ad genus humanum, seu, ut aiunt, *hominem praehistoricum* admittere non possumus, relate vero ad mundum ipsum, et ad bruta animalia, etiam in hoc secundo sensu, epocha praehistorica concedi potest iuxta hypothesim de sex epochis cosmicis de qua mox dicemus.

*Obiic. 1°* Moyses lucem primo die creatam dicit, solem vero die quarto, veluti si lux diurna sine sole haberi posset.

*Obiic. 2°* Ante solis et lunae creationem tres dies numerat, et quidem cum suis partibus diurna et nocturna, cum tamen mensura diei eiusque divisio ab apparenti solis cursu circa terram omnino dependeat.

*Obiic. 3°* Juxta Moysen plantae, et quidem *viventes* (Gen. I. 12) ante solis creationem ponuntur, quod impossibile est, cum vegetatio, et color viridis plantarum (*chlorophylla*) sine influxu lucis solaris haberi nequeant.

*Obiic. 4°* Denique plura etiam absurda tradit, ut ex. gr. firmamentum esse aliquid solidum, et super illud aquas agglomeratas inveniri divisas ab aquis inferioribus (Gen. I. 6. 7.); Lunam esse *luminare magnum* (v. 16) cum tamen minimum sit; item volucres ex aqua productos fuisse et alia huiusmodi. Ex quibus omnibus concludunt Moyses cosmogoniam tam in sua substantia consideratam, tum in suo ordine, et in specialibus quibusdam adiunctis absurdam omnino esse.

Utramque obiectionum classem seorsim expendemus.

I. Respondetur ad primam obiectionum classem contra Mosaicam cosmogoniam in sua substantia spectatam.

Ut demonstrari posset vera contradictio inter Mosaicam narrationem et scientiam geologicam oporteret ut ex una parte sensus verborum Moysi certus omnino esset, et ex alia parte certae essent atque inconcussae omnes geologorum conclusiones quae illi opponantur. Atqui neutrum ex his certum est. Et sane tota difficultas ex temporis a Moysse assignati brevitate desumitur. Iamvero haec temporis brevitatis minime certa est: siquidem vox illa *dies* hebr. יום qua Moyses utitur Cap. I, varias significaciones habere potest, et etiam antequam geologicae observationes institui coepissent aliis atque aliis modis ab interpretibus explicata est. Quare iam saeculo V dicere potuit Augustinus De Civ. Dei I. 7: « Qui dies cuiusmodi sint aut perdifficile nobis aut etiam impossibile est cogitare, quanto magis dicere? » sunt autem potissimum tres interpretum explicationes. Vel enim accipitur *dies* (יום) pro die *naturali* viginti quatuor horarum, ut fit a plerisque antiquioribus, aut accipitur *allegorice* ut facit idem Augustinus (Lib. 2 De Gen. Adv. Manichaeos c. 3) qui contendit sex dierum nomine intelligendos esse successivos

gradus cognitionis mundi creati in mente Angelorum, vel denique accipiuntur dies pro tempore *indeterminato*, seu epochis successivis ut plerique recentiorum contendunt. Unusquisque videt quod difficultas in hac ultima explicatione evanescit; siquidem quantumvis temporis spatium geologi requirant sive ad stratorum, sive ad fossilium formationem id totum in hac hypothesi intra sex dies Mosaicis includi potest praedictas epochas indefinite protrahendo. Crescit argumentum ex eo quod ante primum diem aliam indefinitam epocham admittere possumus salva significatione verborum Moysi, imo etiam cohaerenter cum contextu. Moyses enim distinguit creationem *materiae informis*, ab eius *ordinatione* et compositione: illam videtur indicare primis verbis: *In principio creavit Deus coelum et terram: terra autem erat inanis et vacua* etc. ubi hebraice duo vocabula occurrunt quae confusionem et commixtionem significant יָבֵרָה תִּדְרֶה quae proprius a LXX Interpretibus vertuntur ἄβρατος καὶ ἀκατασκευαστος *invisibilis et incomposita*; deinde vero *primo die* lucem creatam esse narrat, *secundo die* divisas aquas et ita deinceps totum mundum (κοσμον) compositum et ornatum fuisse. Porro nescimus quantum temporis spatium intercesserit inter primam *creationem* et rerum *formationem*, quo tempore etiam plura phaenomena geologica locum habere poterunt. Quare simul coniungentes sex illas indeterminatas epochas cum ista praecedente habebunt geologi temporis quantum desiderant ad suas theorias et conclusiones tuendas. Verum ne forte dicant violentam esse explicationem illam dierum Mosaicorum, hic breviter indicabimus argumenta quae hanc explicationem confirmant, aut saltem ostendunt eam verbis Moysi contrariam non esse.

1° Non solum latinum verbum *dies* (1) et graecum ἡμέρα saepe pro tempore indeterminato accipitur, sed etiam hebraicum *iom*, et, quod maxime ad rem facit, ab ipso Moysse et in hac ipsa narratione ita usurpatur. Nam Gen. II, 4. narrato opere sex dierum concludit: « Ista sunt generationes Coeli et Terrae, *in die* quo fecit Dominus coelum, et terram, et omne virgultum agri etc. » Ubi *in die* evidenter significat *in tempore*; iam enim dixerat diversis diebus haec producta fuisse.

(1) Adducit hic Petavius exemplum ex Ciceroe qui Lib. II in Verrem inquit: « Itaque cum ego *dies* in Sicilia inquirendi *perreptam* postulavissem, invenit iste qui sibi in Achaia *biduo breviorum diem* postularet. »

2° Tres priores dies non poterant esse dies proprie dicti seu naturales quia sol et astra nondum creata erant quae tandem quarto die apparuerunt. Item septimos dies non dicitur vespere habuisse sicut caeteri et accipi videtur indefinite pro toto spatio quod sex dierum quo subsequutum est, quare pulchre ait Augustinus Conf. XIII. 36. « Dies septimus sine vespere est, neque habet occasum. »

3° Confirmant hanc expositionem ex cosmogoniis aliarum gentium ubi mundus dicitur formatus *sex epochis* ut in Zend-avesta Persarum, vel *sex mille annorum* spatio ut in Cosmogonia Hetrusca, teste Suida, quibus aliquid simile occurrit apud Aegyptios, et Phoenicios.

4° Denique auctoritas plurimorum et doctissimorum interpretum huic sententiae suffragatur.

Dissimulanda non est obieccio quae oritur ex distinctione quam Moyses inducit in singulis diebus inter *mane* et *vespere*. Ait enim: « factum est *vespere* et *mane* dies primus, secundus, tertius etc. » quo videtur indicari dies naturalis cum suis partibus. Verum respondet difficultati Augustinus L. I de Gen. contra Manich. C. XIV, vespere et mane hic usurpari metaphorice pro initio et fine operis uniuscuiusque diei, quia solent homines mane opera suscipere et vespere ab eis cessare: deinde primi tres dies non poterant habere mane ac vespere in proprio sensu cum sol nondum existeret. Denique nonnulli ad ethymologiam vocum hebraicarum ערב *vespere* et בקר *mane* confugiunt ut illas alio prorsus sensu explicant, ita ut vox ערב, ex radice ערב, *commixtionem* seu confusionem significet, et vox בקר, ex radice בקר, accipiatur pro *inquisitione* seu *aperitione* ita ut sensus sit: a tempore quo res adhuc confusae erant usque ad completam uniuscuiusque ordinationem unam diem, idest epocham, transiisse, quo etiam dicunt explicari cur Moyses primum vespere ponat, et postea mane contra naturalem ordinem.

Instant tamen adversarii ex iis quae leguntur II, 2, 3 scilicet Deum die septimo requievisse, eundemque diem sanctificasse, unde lex Sabbati apud Hebraeos ortum habuit, quo ab operibus servilibus abstinendum erat et cultui divino vacandum; sabbatum enim hebr. שבת *quietem* significat. Clarissime vero Moyses Ex. XX, 9, 11 de hac Sabbati origine loquitur inquit: « *Sex diebus operaberis*

*et facies omnia opera tua: septimo autem die sabbatum* (requies) *Domini tui est: non facies omne opus in eo.... Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et mare et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei sabbati et sanctificavit eum* »; ubi manifestum est, inquit, comparisonem institui inter dies cosmicos, et dies naturales, et inter primam mundi hebdomadam et hebdomadas sequentes. — Responderi tamen potest comparisonem illam non tam institui inter dies et dies, quam inter numerum et numerum dierum ita ut septem primi dies mundi primam hebdomadam reliquarum exemplar constituant, quaecumque tandem fuerit eorum natura et duratio. Nonnulli etiam tertio opponere solent in hac opinione mundum multo antiquiorem fieri quam Moyses dicat. Quibus respondemus quod Moyses chronologiam exhibet *generis humani* incipiens annos numerare ab Adamo, utrum autem *mundus* antiquior homine sit neque affirmat neque negat; hoc igitur interpretibus definiendum relinquatur.

Hisce omnibus perpensis, concludimus opinionem, quae sex dies Mosaicos pro epochis indeterminatis accipit nihil absurdi continere, nec ulla ratione Moysis menti aut verbis repugnare: cum igitur ad geologorum obiectiones solvendas haec ipsa opinio aptiorem et faciliorem viam aperiat nemo nos reprehendat si ea in praesenti quaestione usi fuerimus. Ut enim opportune monet S. Thomas Parte 1<sup>a</sup> quaest. 68, art. 1 *De opere secundae diei* « In huiusmodi quaestionibus duo sunt observanda. Primum quidem ut veritas Scripturae intoncusse teneatur: secundum cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaeret, ut si certa ratione constiterit hoc esse falsum quod aliquis sensum Scripturae esse credebat id nihilominus asserere praesumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne his via credendi pracludatur » quod antea monuerat etiam S. Augustinus lib. I. Gen. lit. (1), ad quem appellat S. Thomas. Cum igitur in-

(1) In citato loco scribit Augustinus: « Et in rebus obscuris si qua inde scripta etiam divina legerimus quae possint salva fide quae intubatur alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos praecipiti affirmatione ita proiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit corruamus non pro sententia divinarum scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus scripturarum esse quae nostra est, cum potius eam quae scripturarum est nostram esse velle debeamus. »